

Sept. 1549.

99.

LR 7, 485

S. D. Carissime Colline. Etsi nihil perinde levat
 molestiam in his communibus miseris, ut amicorum
 prudentium colloquia, et ego in primis acquiesco in tuis
 literis, tamen ita flagito officium scribendi, cum commode
 et scribere et mittere poteris. Benevolentiam mutuan
 et animorum, inuicem et iudiciorum consensionem spero
 eternam fore, et fruamur nostram amicitiam multo
 dulcius in illa eterna consuetudine apud filium Dei,
 et nostros collegas, id est doctores Ecclesie, Prophetas
 et Apostolos. In Germania Saxonica bella metuo. Nunc
 Carolus ex Belgico rediit Spiram. mitto tibi pagel-
 las ut soles. Bene vale. die 16. octobris, quo ante
 annos 1872. interfectus est Demosthenes. Anno
 1549.

Philippus Melancthon.

Inscriptio.

Carissimo Viro eruditione
 et virtute Prostanti D.
 Matthaeo Collino, in Aca-
 demia Pragensi, amico
 suo carissimo.

ACHILLES BOCCHIUS THEODORO
 et Alberto Germanis Iuuenit. Studiosiss.
 S. P. D.

100.

Quam me proximè rogastis sententiam, quid Alemannia
 voce significetur, dicam sane, et paucis expediam. Res
 vulgò satis omnibus nota est et pervagata. Attestor igitur
 atque profiteor, quod et annis retroactis plus minus XXX.
 Bononia publicè sem professus, me simul patrum nostrorum
 memoria, fando consentanea, omnia prædicatione sem,
 per audisse, simul legendo diligenter et adnotando com-
 perisse, Alemannorum appellatione Germanos intelligi, qui
 superiores dicuntur, et alii esse ab inferioribus probantur.